Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35431
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

Esse ferunt aquilam super omne volatile // primam
Que se sic renovat quando senecta gravat
Fons ubi sit querit qui numquam fluere desit
Et super hunc celo fitque propinqua deo // alas
Tunc sibi sol ambas succendit fervidus //
Et minuit (magnas) grandes alleviatque graves
Tunc eius caligo consumitur igne propinquo
Qua confert oculis vita vetusta suis // dis
Mox ruit in fontis liquidis se mergit et vn //
Ut cadit in nido sic nova fit subito
Est autem rostrum quo capitur esca contortum
Vix valet ex aliquo sumere pauca cibo
Sed feriens petram vel mordens ut solet escam
Os terit obliquum sic capit inde cibum
Est homo peccatis qui sic ab origine victus
Qualis (ut) adest aquila sic renovatur ita
Nubes transcendit solis et incendia sentit
Mundum cum pompis despiciendo suis // no
Fit novus in Christo ter mersus gurgite vi //
De sursum vivus fons fluit ille prius
Os terit obliquum per verba peccancia Christum
Ut Christus petra firmat apostolus idem // ius
Iam nobis est panis super omnia mella sua //
Panis id est Christus fit sine morte cibus

Cum senex serpens novus esse gaudet
Atque ieiunans fame (macerat) perhorret corpus // nec
pell rugosa tue — Pellis effecta tremit. ossa nervus sola ma //
Querit angustum lapidum foramen
Vix movens sese vemens quoque tandem
Inde pertransit spoliatque carnem pelle vetusta
Quoslibet rivos repetens aquarum
Ut sitim perdat vomit virus ante

Capitulum 2m in quo ostendit naturas aquile quam naturales asserunt esse regem super omnia volatilia Secundo illas naturas allegorice declarat Prima eius natura est Cum senectute gravatur requirit sibi flumen fluere numquam desinentem super quem volat usque ad tertium interstitium aeris donec succendat alas quod ultra volare nequeat tunc cadit ad flumen et inde iuvenescit et caliginem suorum oculorum depellit Secunda eius natura est quod rostrum suum interim curvat quod per cibum cibum sumere non potest tunc ipsum ad lapidem trudit mordendo et terendo et sic antiquum deicit et novum acquirit Allegoria prime nature est hec sicut aquila cadit de alto et submergit se in aquis se renovando Sic homo inveteratus et subditus peccatis originalibus debet cadere ad flumen id est ad baptisma in quo potest se renovare a peccatis Secunda Sicut aquila senex curvum habens rostrum quod naturali instinctu ipsum terit ad petram renovando sic quod cibum sumere valeat Sic homo peccati rostrum incurvatum habens quod panem vite comedere non poterit debet rostrum terere ad petram hoc est debet confiteri sacerdoti qui in forma Christi eum concludet et sic renovabitur per penitentiam et confessionem Una Christus est petra Item Plinius in de animalibus ponit alias naturas eius Prima quod est velocissimum et altissimum volatus ultra alias aves et in hoc Johannes evangelista dicitur in figura aquile Secunda quod habet acutum visum quod videt pisces natantes in aquis cum volat in summitate aeris et per hoc potest intelligi quilibet litteratus vel doctus qui acutiorem habet visum id est intellectum cognoscendi Tertia quod generat tantum tres pullos et illos cum oculis ponit versus radios solares et si quos in spectando aliquis oculis lacrimantur illum deicit de nido tamquam ignobilem Et per illam potest intelligi deus qui habet tres pullos id est triplicem populum scilicet christianum iudeum et gentilem Quos tres ponit versus solem id est deitatem et cuius oculi lacrimantur illud deicit de regno id est de nido